

contumacissimis, & Medici operam non raro eludentibus, occasionem præbet.

THES. XXXVIII.

Perspectâ sic etiam Prognosi, ordo nunc requirit, ut ad curationem ipsam progressum hic faciam, & quibus nitatur indicationibus, disquiram. Consistit autem illa in eo, ut (1) humores digestivi quôcunque modò vitiiati vel è corpore proscribantur, vel per appropriata alterantia corrigantur, & ad statum naturalem reducantur; (2) ut ventriculi parietum tonus laxatus restituatur; quibus denique (3) pro cura facilitanda strictior diæta jungatur.

THES. XXXIX.

Menstruum igitur si à cruditatibus quibusvis inquinatum fuerit, evacuari debet per medicamenta aut vomitum, aut secessum moventia; Et inter illa quidem primum locum obtinent gâlia, tanquam tutiora, hinc commendantur ζ us vitæ, ζ us *Emet. Myns. Infus.* Vitri γ ii vel Croci metall. Quamvis monendum, hæcce non raro Medici operam deludere, quatenus virtus eorum emetica ab acido exsuperante castratur, unde sæpiùs non ad vomitum, sed per alvum commoventur. E re itaque erit in hoc casu absorbentia, v. g. oc. σ . vel etiam Θ ia alcalia fixa illis commiscere pro scopo feliciùs obtinendo. Laudem etiam meretur Asarum, cum præter acrimoniam vomitum provocantem simul forti & penetrante odore saporeque aromaticò præditum sit, in quo vis ejus specifica latet corrigendi & dissolvendi humorem viscidum.

THES. XL.

Si per inferiora purgandum sit, lenioribus, & per epicrasin evacuare dictis, utendum, qualia sunt MP de tribus Ruffi, Pilulæ Angel. Francof. Aloëphangin. Mastichin.

de